


ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Cominentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integral ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

“ ALMA ROMA „, IN ANNUM MDCCCCXXX

Novo anno ineunte, diurni et periodici commentarii solent consilia sua ad temporis opportunitatem accommodata plerumque exponere; idque ea praesertim de causa, quod, quum civili cuiquam parti inseruant, ad rei publicae capessendae rationes attendant, ab ipsa parte, cui addicuntur, acceptas vehementerque servatas. Non idem nobis, qui nihil ad commodum aut utilitatem singulorum referre debemus; sed ad unam, eximiam, universam humanitatis formam spectamus, ad germanitatem scilicet et quasi fraternalm necessitudinem, qua per sermonem illum, ab Alma Matre procedentem, quae primum imperio populos rexit ac deinde religione consociavit atque tenet adhuc, omnes vinctos cupimus atque exoptamus. Nobis enim ab initio proposuimus, lapidem, quicumque fuerit, conferre ad ostendendam latinam linguam etiam nunc aptam semper, flexibilem et idoneam ad omnia, vel nostrae aetatis novissima, exprimenda, ut communis doctorum saltem virorum lingua in universum tandem aliquando adhibeat, aut, rectius, restituatur; idque perficere non sesquipedalium disceptationum praedicatione studuimus, sed re ipsa testantes; nempe omnis generis argumenta tractando a litteris ad historias, a civilibus ad oeconomics et sociales quaestiones, quaeque ad artem diversasque disciplinas pertineant, usque ad iocosa, ludicra et communia illa nostrae vitae, quae pariter non ex recentioribus sermonibus, addita latina quavis flexione, deduximus, sed a paterno vitali rore haurire contendimus.

Hoc iter per annos sexdecim confecimus; utque causa non fuit cur a via vel paululum deflecteremus, non est quidem cur decimo septimo, quem aggredimur, aberremus. Ita, faustis auspiciis, non solum fideles illi, qui ab incunabulis nos comitati sunt, incoepitis nostris favere pergant; sed novi etiam, iique plures accedant, ad sacrum ignem custodiendum parati; parati ad nobile illud vexillum accipiendum, quod tam diu nos destrinximus alteque agitavimus. Non enim falsa atque inani spe frustramur: scriptorum nostrorum veterem illustremque phalangem atra mors quotannis perfringit; ipsi nos, qui ALMAM ROMAM hanc sevimus ac prope per lustra quattuor moderati sumus, iamque prius totidem VOCI URBIS commentario praesedimus, senectutem appropinquantem sentimus...

Ne igitur opus, in quod tantum alsimus et sudavimus, quodque magnum profecto est, atque perennius aere esse oportet, vetustate nobiscum exarescat, atque - quod Deus avertat! - moriatur; imo coetus, vel etiam vir unus exsurgat, cui amoris vehementissimi pro amplissima causa haereditatem tute ac tranquillo animo committamus; nova scriptorum series exsurgat, qui loca occupent deserta illustremque famam persequantur, quin etiam maiorem suscipiant. Iuvenes praesertim appellamus, qui in spem studiorum, in spem Ecclesiae crescunt; magistros appellamus, ut eos ad clarissimum prepositum allicant, ad societatem nostram adducant.

His animi sensibus novo anno occurrimus.

* * *

Nuc autem, consociationis regulas repetere iuvat, sociis singulis commendantes, ut omnia recto tramite nobiscum expediant.

Subnotationis pretium, uti in superiore mensis Decembribus MCMXXIX fasciculo ediximus, est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italias libell. 30 exaequet. Communi huic subnotationi altera addita est, quam *adiutricem* appellavimus, duplicato cuiusque subnotationis pretio; scilicet pro Italia libell. 30; pro exteris gentibus libell. 60. In *Patronorum* autem Commentarii nostri numerum, uti semper, adscribentur qui summam libellas 100 exaequantem miserint, vel socios novos quinque adportaverint. Eorum nomen publici iuris in Commentario fiet.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad annum MCMXXIX inclusive sibi cupiat, - supersunt enim exemplaria nonnulla - mittat Italicas libell. 375 pro Italia; pretium duplcatum, nempe libell. 750, pro exteris gentibus.

Denique has leges in mente quisque habeat:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit – (quod nullo impendio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita non recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) – tamquam socius valide reputabitur.*

ALMA ROMA.

De pura latina dictione comparanda

Ad ea quae in hoc commentario de latinae linguae studio recens scripta sunt, nonnulla addere, quasi appendicem, liceat, eaque ad puram dictionem latinam comparandam.

Atque in primis definiendum est quid per puram dictionem intelligamus. Neque enim ulla purae dictionis notio institui potest, nisi certis quibusdam finibus, sive characteribus, illa delineetur, et, collatione cum corrupto dicendi genere instituta, vera illa dictionis purae facies appareat. Ut enim ex comparatione cum deformibus instituta verus ille pulcritudinis splendor elucet; ita purae dictionis nullus sensus est, nisi distinguere puri et impuri sermonis formas didicerimus. Quemadmodum coeci non recte iudicant de coloribus, ii quorum manus ad stivam et ligonem occalluere, nunquam fides molliter tractare et ad harmoniam componere discent; ita qui sordibus sunt innutriti, elegantiam et nitorem puri sermonis aegre comprehendent.

Pura dictio, si definienda est, eam dixeris, quae sensus maxime proprios et perspicuos ostendit, verbis selectis bene inter se ordinatis convestita.

Ex eo apparet puritatem dictionis tripli ratione esse considerandam: I. *Sensu*

grammatico. Voces enim esse debent propriae, selectae, bene inter se iunctae. II. *Sensu logico.* Ea enim debet esse orationis consequatio, quae perspicuitatem menti objiciat; quod aliter fieri non potest, nisi quum sententiae sententiis recte conexae modo quodam syllogistico se excipiant. III. *Sensu, quem dicam rhetoricum,* quum in integra oratione enthymemata recte ordinantur, et eloquutio talis adhibetur, quae sit ab omni perplexitate et abusione, audacioribusque metaphoris alienissima. Haec enim omnia deformant orationem et aliquid impuri et diversi generis admiscent.

Ex tribus hisce considerationibus inter se iunctis oritur illa puritatis forma, quam nobis exhibet Hermogenes.¹ Ille enim puritatem in abstracto, ut ita loquar, considerat, quatenus orationi competit, non tantum qua grammaticae aut latine ex usu populi instituta est, sed et qua a rhetoribus illis coloribus ornatur, qui maxime simplicem cultum ostendunt. Quare omnes amplificatos dicendi modos, ut si quis genus speciei adiungat, totum parti, indefinitum finito, aut qualitatem rei, aut differentiam cum aliquo, aut alia istiusmodi, ab hoc dicendi genere plane secludit, quum orationem circumductam faciant, quae contraria sit puritati. Assumptionem quoque consequentium, quibus narratio

¹ *De formis orationum*, cap. III et IV.

aliqua dilatatur, hinc abesse vult, ordinem non vult turbari, neque figuram misceri, dictionem vult esse vulgatam, non translatam, neque ex se duram. Rectitudinis figuram vult tantum adhiberi, ab omni obliquitate abstineri iubet, membra vult esse parva et concisa, quae in se sensum vel sententiam absolvant, structuram et compositionem simplicem, quae non multum sollicita sit de concursu vocalium; numerum oratorium non putat sollicito exquirendum, sed illum tantum requirit numerum, quali in quotidiano sermone uti soleamus, trochaeos et iambos. Subnectit huic puritatis formae sua conceptae, formam perspicuitatis, quae ab illa multum differt, sed eam quasi per se sequitur. Semper enim puritatem comittatur perspicuitas, ut vix opus sit novo aliquo charactere.

Nos quidem hic puram dictionem latinam ea latitudine non accipiemus, sed potius de prima illa acceptance solliciti erimus. Agimus enim de lingua latina, quomodo illa ad normam aureae aetatis scriptorum formanda et quonodo ille orationis habitus constituendus, ne quid vel barbari vel inusitatim aures offendat. Quae quidem cura ad grammaticos primo omnium pertinet, quod ad voces et phrases attinet; ad oratores vero, quum de selectu earum instituendo praecepta dantur; quae ubi observata recte fuerint, sua sponte consequetur illa puritatis forma, quae ab Hermogene operosis praeceptis inculcatur, quorum tamen in exemplis non iste usus fuit, quem quis forte requirit. Verum enim est, quod nonnulli de Hermogene iudicant, illum contemplationibus obstrusioribus nimium abripi, atque ita circa formas suas philosophari, ut ipse vix satis vel sua ipsius sensa exprimat, vel rem ipsam ita ob oculos ponat, ut eius usus omnibus patere possit.

(Ad proximum numerum).

I. L. M.

Latinae adnotatiunculae

Abducere. — Vulgo utimur pro «ex aliquo loco ducere»; sed veteres «ex loco in alium ducere». Unde saepe mutatum est in «adducere». Contra, Terentius in *Eunuch.*: «Illa illico ubi me accepit, laeta ad se abducit domum». Et in *Adelph.*: «Ad me abducta est domum». Plautus in *Amph.*: «Ego huc ab navi me adducam Naucratem». Cicero: «Abduxo exercitum ad infestissimam Ciliciae partem». Livius (lib. 27): «Productae deinde in conspectum eius coniuges liberique lacrimantibus gaudio redduntur, atque eo die in hospitium abducti».

Inscientia, Inscititia. — Inscientia pro «ignoratione, imperitia» adhibita est a iuris consultis; sed latini scriptores «inscitiam» semper dixerunt. Ita Cicero (I, *Off.*): «At hoc idem si in convivio faciat, videatur inscitia temporis». Livius (l. VII): «Tum centurionibus ad se vocatis, quae nam illa inscitia belli ac pigritia...» Horatius: «Sanctarum inscitia legum». Ipse Agell. (II c. 6): «Paullatim tamen inscitia antiquitatis, viros Aedepol dicere coepisse». Apud Comicos poetas Inscititia pro «stultitia» posita quoque est, teste Festo. Terentius in *Heaut.*: «O Iuppiter tantamne esse in animo stultitiam?», nam et mox: «Ut meae stultitiae in inscitia tua sit aliquid praesidii». Sed et apud Ciceronem (*Off.*, I): «Ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda est prudentia».

Protinus. — Pro «retro, a tergo» apud Ciceronem (*De divinat.*, I): «Praecepis setque ne pergeret protinus; quid retro a tergo fieret, ne laboraret».

O. GIFANI.

FAUSTIS NUPTIIS HUMBERTIE DOMO SABAUDA
 ET MARIAE BELGARUM REGIS FILIAE
 CARMEN

*Flos perillustris populi venuste,
 germen augustum validi Parentis,
 patribus claris celebrisque dignis
 laude triumphi,*

*Matris et rectae modo saeviente
 aspero bello bonitatis altae
 quae fuit terra cruciata inique
 angelus almus*

*patria longe miseris abactis,
 Itala in terra, exsul ubi recepta,
 grata vitasti arma nefanda, votum
 perfice tandem*

*mentis, Humberto, qui adiit sepulcrum
 Filii Sancti pietate summa,
 Principi forti, Domino favente
 cor tribuendo.*

*Itali iam Te peramant, salutant
 sidus exortum patriae refulgens
 Teque plaudendo fremituque dulci
 candide honorant;*

*civitatis iam regimen gerentes,
 dignitates et regionis omnis
 vestibus, ritu patriam exprimentes
 pandere saltu,*

*cantibus, donis cupiunt Tibi alte,
 nuptias faustas animo precantes
 Papa quas ferme benedicet Ipse,
 cordis amorem.*

*O resurgentis species amanda
 Italae terrae in Pedemontio, arce
 gentis antiquae sociatae in unum,
 lumina luci*

*qui reclusisti atque Domus Sabaudae
 reddis insignes ubivis honores,
 nostra Te spectat validum, benignum
 fida iuventus.*

*Belgicis, nostris fremitus sepulcris;
 Brennero monte ala Deae movetur
 auctibus praepes patriae videntis
 ultima signans.*

*Crux Sabauda o proxima nunc leoni
 Belgico signis agitur auris;
 stridor alarum spatiis salutet
 aetheris alti*

*Regios Sponsos; puerorum acutae
 per nemus voces resonent canentum;
 vestiantur strata viarum ubique
 flore fraganti:*

*Christiana nam omne faustiore
 nuptiae nondum fuerant peractae,
 quas ferum bellum generavit, auxit,
 deinde triumphus*

*iunxit astringens, celebrando amanter
 aemula cura miseros levandi.
 Praedicandis nonne Deus favebit
 hisce hymenaeis?*

*Fervidum votum, Iuvenes, beate
 denique explete subolesque Vestra
 usque virtutes utriusque gentis
 perbene redditat.*

*Cara sit semper Domino per aevum
 sub Sabaudorum imperio sagaci
 Italum gens, cui stupefacta plaudat
 Terra verendo.*

NAZARENUS CAPO.

EX HISPANIA

Pulcherrima lucis et aquae spectacula apud Barcinonenses.

Quis locorum amoenitates sensu acer-
rimo aspiciens, in quibus artium recentis-
sima quaeque magno certamine nuper
Barcinone proposita fuere, insolita nec
ullis cognita temporibus miracula, quae
lux et aqua ope vis electricae in formosis
Montis Iovii creaverunt, maxima suspen-
sus admiratione non intutus est? Itaque
de novissimo hoc festorum lumen pro-
digio deque pulcherrimis aquarum ludis,
hilari quorum visu cives et advenae ob-
stupuere, a me inter amicos *Almae Ro-
mae* lectores, quibus quondam meam fere
fidem obligavi, comiter inducetur sermo.

Lumen hoc spectaculum, de quo est
sermo, tribus rebus coalescit, luce scilicet
alba, luce deinceps coloribus decorata; de-
nique, aqua, quae quidem luce alba et luce
coloribus picta pariter collustratur. Quam-
quam ea lumina, vi electrica et colorum
ope, non sint res nova, quum revera in lu-
cidis et clamosis proscriptionibus, quae
venditionis causa in pergulis tectorumque
liminibus fastose pendent, et insuper in
ipsis fontibus, quos magicos vocant, iamdiu
existat, est tamen omnino nova, ratione
praesertim ingeniosi « technicismi » adhi-
biti ad producendum fluctus undasque
lucentes, quibus quiddam instituitur pul-
chriorum prospectuum, qui electridis et
aqua ope obtineri possunt. Id ordine suc-
cessivo lux multi coloris ita producitur,
atque colores ita gradatim alternis vicibus
substituuntur, ut vel attentissimis animis
aspicientibus notum non sit ubi unus in-
cipiat color et finiat alter. Et fluctus caeci
undaeque sequaces, quarum motus est uni-
formis, ita fluunt per omnia emissaria, per
praecipites aquarum lapsus (maxima admi-
ratione dignos) et per omnes fontes, tam-

que sollerti arte disponuntur, ut aquam
manantem natura sua colorum revera
praeditam conspicere credas.

Ingeniosus artifex, in quem omnes sum-
mas laudes conserunt plenoque ore eum
collaudant, optimus iuvenis, Carolus Bui-
gas et Sans, praedictum effectum, equidem
mirum, si peritis fidem adiungere decet,
consequutus est, optime ratione habita
plurimorum elementorum, quae in hoc
admirando spectaculo ludunt; in quo, ut
iucunda et requisita sit varietas, quotidie
apparent novi lumen modi, qui diverso
ordine ac diversis coloribus, ope lucis im-
mobilis, obtinentur.

Si quis cum animo suo cogitat magnum
numerum emissariorum et fontes et aquar-
um molem et fabricatas ad hoc machinas
et quod unaquaeque harum potest sola
eosdem producere effectus ac simul omnes,
exploratam habebit laudati ab omnibus
spectaculi amplitudinem et quantum inter
alia praestet. Evidem inter tot innumer-
abilesque res maximi ponderis et maxi-
mae pulchritudinis, quas nationum hoc
Certamen infinitis visentibus obtulit, haec,
quam describimus, absque proh dolor! ele-
ganti phrasium structura, vere magica
dici potest, tum quod ad mirificos effec-
tus spectat, tum quod ad prudentem loci
situm atque electionem.

Aurora, quam appellant, et quae im-
mensis efficitur fascibus fulgentium radio-
rum, qui producuntur per apertis repercuttui
instrumentis, praeclera arte dispositis,
alia recentium miracula lumen consti-
tuit. Potentia lucis repercuttiae ita enormis
est, ut flammeus splendor talis Aurora e
praeruptis montibus, e supinis collibus,
turritis urbibus, rusticis villis, quae ab
ipsa sunt procul viginti supra centum
kilometra et amplius, optime conspicitur.
Aurora unius tantum coloris esse potest,
vel in lucem pluribus etiam coloribus or-
natam transformari. Unde haec Aurora
imbriferae similis est Iridis, mille trahentis

varios adverso sole colores; hoc tamen discriminé, quod in hoc arcu, arte facto, colores non superponuntur horizontali, sed perpendiculari modo, et alter iuxta alterum. Unde revera spectaculum efficiunt ex omni parte praeclarissimum ad aspectum, ita ut plurima turba, pluribus centenis millibus civium constans et inumeris peregrinis, quae per sex menses denso complevit agmine amoenissimum Montis Iovii agrum, stupuerit prodigium mirata novum, tacitoque obtutu steterit. Ibi enim, quum nox praecipitata ruit et fuscis tellurem amplectitur alis, nulla res tenebris nec caligine obducitur, sed omnia emicant, omnia ardenti splendore nitent. Lapidés, si mihi verbis licet uti disertivatis, I. Ruya, optimi viri, in studiis liberalissimis et doctrinis versati summa cum laude, lapides, inquam, fiunt prunae, et fumus fax, et tecta lumen, et aqua lux; lux pura, ullo absque obice, flammigera nullibi praeelucente lampade, non aliter ac si res omnes proprio pellucerent igne; igne scilicet, qui aethereas se volucer tollit in auras et, nutu artificis efficientis, colorem induit modo purpureum, modo caeruleum, nunc viridem, nunc coccineum, etc. Mirifica admodum invenitur quidem Lampas Aladini, si fabulosae narrationi arabicae tribuenda sit fides; sed collata cum lucibus, de quibus sermonem ferimus, cuilibet fusca omnino videbitur.

Eae tamen luces, is coruscans splendor mox eheu! extinguetur; utinam nobilis civilium morum splendor, alma lux liberalium artium atque etiam illiberalium, pulcherrimis disciplinarum iubar, et suavissimum praesertim Christi lumen, perpetuo omnia compleant, omnia lustrent, ut cives omnes Barcinonenses et populi orbis terrarum, qui famoso artium huic Certaminis adfuere, hac superna luce illustrati, nunquam a recto vivendi tramite, quo itur ad astra, deflectant!

His verbis, articulis, quos ut scriberem,

menti meae lumen praetulit Barcinonensis Internationalium rerum Exhibitio, coronadem nunc denique addo.

Posthac, quod Deus bene fortunet, si mihi tempus non desit, claro annuente Moderatoro, in scribendis rebus iucundis et utilibus in *Alma Roma*, quantum patiatur acies ingenii, nervos omnes contendam.⁴

Nunc tandem meritam vobis gratiam, lectores mei dulcissimi, pro vestra in me magna benevolentia mente memori persolvo, salvique per annum incolumes ex animo precor vivatis.

Vici apud Ausetanos Kal. Ianuarii MCMXXX.

I. FONTS.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

De novis verbis latine redditis.

EMM. JOVÉ, C. M. F., ANDRÉAE AVENARIO
frati sal.

Mihi vero, paucorum verborum homini, prorsus contingit feliciter plura uno exemplo interrogari ne, vix incopta litterarum responsione, dicendi inopia labore. Placet enim quum ad *Almam Romam* quidquam mitto operae pretium facere, ut duas saltem ephemeredis compleam paginarum columnas. Te sequar igitur in itinere satis quidem longo, at non impedito, quod tu duobus superioribus numeris iam praesignasti et tuis facibus meaque tenui laterna haud dubium aliquid luminis in re nostra subsequentibus adferemus.

Tecum sum tandem in adsumendo «vaporario» plus quam «caldario» pro vestro *Heitzkörper*. Quum tuum «cerusatum stylum» nos «graphidem» adpel-

⁴ Imo Moderator, et etiam, proculdubio, lectores omnes Tibi gratissimi erunt! (A. R.).

lemus, ideo religioni non habuimus «*stylographi*» nomen tuo calamo completivo coaptari; de re tamen recte iudicasti.

Manubriola quibus, ut ais, electricis nostris lampadis et machinis flumen tanquam «aperimus et intercipimus», nonne recte «claves», si magnae, «claviculae» si parvae vocantur? Attamen si melius quam verticulum, quaeris pro vestro *Vexierbild*, fortasse non displicebit tibi «subverticum», quod quidem nominis praeter speciem illam, quam ⁱⁿsuperiore anno, MCMXXVIII Kal. Nov. — quantum tacuimus, mi Deus! — aliam quoque subgerit, quod haud semel impatientem animum subvertat aut vexet, sicut tu exspectabas.

Epistulam tuam persequor, et ecce oculis, quamvis obiter, iterum se praebet «obiectum», cuius «ideam» nullo Latino verbo, nisi technico illo aut culinario, dixeras exprimi posse. Est nunc quidem hac de re quod mentem aperiam meam. Ciceronem legendo et certe *De inventione librum*, ad caput venio quartum libri primi. Numquid gaudium suspicaris meum quum video: «Sed antequam de praeceptis oratoriis dicimus, videtur dicendum de genere ipsius artis, *de officio*, de fine, de materia, de partibus... Officium autem eius facultatis (eloquentiae) videtur esse, adposite dicere ad persuasionem; finis persuadere dictione. Inter officium et finem hoc interest, quod in officio, quid fieri, in fine quid offici conveniat, consideratur. Ut medici officium dicimus esse curare ad sanandum adposite, finem sanare curatione; item oratoris quid officium et quid finem esse dicamus, intelligimus quum id, quod facere debet, officium esse dicimus, illud, cuius causa facere debet, finem appellamus. Materiam...» Nunc iam de obiecto materiali loqui pergit.

Forcellinium aperio et officium sic proprie definitum invenio: «Officium universim est id, quo quis vel quid pro

natura sua fungi debet. Ut ipse intellego, scilicet, est finis operis seu entis. Iam vero finis operis, qui etiam *finis obiectivus* vocatur, nihil est aliud quam obiectum seu ratio sufficiens uniuscuiusque rei. Habet igitur proprium nomen Cicero atque ideo Latina lingua quo speciem illam philosophicam obiecti satis expressam relinquat. Etymon tandem eius *ob* et *facio*. Verum olim officere, ait Vossius, idem fuit quod efficere, nunc tantum sumitur pro obesse.

De *Weltanchauung* satis iam verborum fecimus, neque ad illud, quod exposuisti, quidquam addendum censeo. Rectissime novata omnia illa: *scoparium, penicillus saponarius, vitriarius, propulsorium, resonatorium, flexorium, calceamentarium, societas partitae sponzionis, foenus redhibitorium*.

Adparatus qui in radiaculo auribus admovetur «auriculare» dicitur; tu nempe id nominum genus efformare docuisti quum tam apte, pro nostro *pararrayos* «fulminare» finxisti. «Exceptaculum» potius erit totus ille locus ad excipiendas audiciones aptatus. Praeterea *sympiphonia instrumentalis, cymbalum caudatum, acus inammissibilis, orbiculus horarius* vel *horarium, supellex scriptoria* nec mihi displicant. Pro «calendario foliato» etiam antiquorum est vocabulum, «fastifastorum».

Dicamus *Schalter*, «connectorium»; *Plakatsäule*, «publicarium, seu columnam publicariam»; *Radiergummi*, «deletile»; *Schlittschuh patin*, «arcumam vel arcirmam»; *Büleugestell*, «replum conspicillorum»; *Chasse de lunettes* melius, «theculam»; *Büro*, «zothecam»; *sortiment* vel *assortimento*, «procuratorium».

An in aliquo iam probato scriptore vidisti *violinam*? Ipse libenter accipio vocabulum. Origo illius creditur a verbo »vitulor,» quod est «voce laetari», unde

«Vitulam» deam laetitiae vulgo appellabant Ex Vitula, nostra est «viola», quae nomen Latinum habet ex graeco *barbitum*. Supra huiusmodi instrumentum est noster *violin* qui haud temere «violinus» (barbitus, masc.) vocabitur; infra barbitum est *violoncello*, cui «violinæ» (barbito fem.) nomen dedes; quum infra violinam sit *violón*, id «sub-violinam» dicemus. Nam quattuor haec fidium instrumenta plus minus acutis vel gravibus tantum distinguntur tenoribus.

Rem non parvi laboris tandem a me postulas atque, illa qua es benevolentia, quasi extorquere cupis. Rei pulcherrimae quidem ut lucem adferam? Mitte ordine longas novorum verborum series, quae tu vocabulario manuali *Langenscheidts* sive Latino-Germano, sive Germano-Latino addenda reserves (nos addemus Hispano); de quorum apta formatione lectoribus rationem reddemus, sive in *Alma Roma*, sive alibi.

Quam non falleris in sensu tuo meliorrem fore mundum si Latiniorem!

Vale multum, amicorum optime!

Cervariae, pridie Idus Decembr. MCMXIX.

Condicionem accipiens, aleae nummos plurimos exposui (alea exercendam multam pecuniam protuli; in medium conieci; omnem aleam ieci): primam lusionis palmarum vici (tuli; abstuli; primore lusionis palma vici; superior fui; primam manum vici; victor abstuli primam manum; lusu superior tuli primum bolus; meus fuit primus iactus; prospere primus iactus mihi evenit; successit); deinde adversa sorte laborare coepi (adversae fortunae obnoxium esse; subiacere; non amplius fortuna mihi adspiravit; arrisit; affulsit; suffragata est; respondit; non amplius amicam fortunam sum expertus; ad me fortuna inclinavit; fortuna se facilem mihi praebuit; benigna sese ostendit). Quum autem ea lege luderem, ut victo essent instaurativa lusiones (lege instaurativi certaminis ludarem; ea condicione luderem, ut daretur victo copia certandae amissae victoriae; ut esset lusioni redintegranda locus; ut mihi licaret lusionem redintegrare); certamen instauravi (instaurativam lusionem inivi sarciaenae iacturae), et omnino naufragium feci. Itaque in magnum aes alienum incidi (aes alienum contraxi; conflavi me in aes alienum conieci; me aere alieno implicavi; involvi; obstrinxi; aere alieno demergor; multa contraxi nomina; aeratus; obaeratus iam sum), at heu! solvendo non sum (meae facultates omnes non sufficiunt aeri huic alieno solvendo; non suppetunt nominibus solvendis; non habeo quod creditori solvam; quae nomina expediam; explicem; dissolvam; ut ex aere alieno emergam; me eximam; creditori faciam satis; unde aes alienum sine mutuatione dissolvam; sine versura luam). Ex uno te, amice, spero salutem.

R. — An in arca mea niteris? (meae arcae confidis?) — Num vis aes alienum tuum in me suscipiam?

— Non id, sed ut pecuniam mutuam (mutuo) credas (utendam des; commodes). Nummos exigendos ad quaestum tibi offero

¹ Cfr. fasc. mens. Novembr. MCMXXIX.

COMMUNIA VITAE¹

Alea, atque debita inde conflata.

— Aliquando ludo indulgere soleo (animum ludo remittere; relaxare; oblectare me; animum ac vires ludo reficere; ad relaxandum animum lusioni indulgeo), hesterna die adversa (sinistra) usus sum alea (adversa passus sum lusus aleam et fortunam; ludus fuit mihi adversissimus; victus sum).

quaternos (quinos, senos, etc.) in centenos. - Pecuniam stipulato foenore a te postulo. - A te vehementer peto ut pecuniam quaestum (foenore) apud me occupes (exerceas; mihi des exrecendam). - Concede ut pecuniam foenori (foenore; pecuniam foeneraticiam) a te sumam (accipiam). Sin minus, eam ab alio mihi cures (procures), quam ex fundis reficiam (reponam).

R. — Multa iam est mihi pecunia in nominibus (ingens pecunia iam mihi est in alienis tabulis; grandem iam pecuniam in rationibus habeo; mihi iam sunt in nominibus millia multa) ut aliam mihi liceat apud te collocare (ponere; deponere; tibi cedere; mandare).

Pecuniam exercere (occupare) in more meo (in meis negotiis) non est.

Non is ego sum qui pecuniam congeram (aggeram; coacervem; qui pecuniarum congeriem accumulem; qui magnos numerorum acervos construem; aggregem; coniicium) ut alicui commodare possim. - Non sum quidem homo pecuniosus (pecuniatus; bene nummatus; bene a pecunia paratus; a pecuniis instructus; pecuniis abundans; effluens). - Non mihi pecuniae multum est. - Non multum in arca (in numerato) habeo. - Non magnam vim auri argenteique possideo. - Non sum in magno aëre meo (in magnis pecuniis; pecuniis refertus; non sum copiosus.

In magna difficultate nummaria ipse vensor (pecunia careo; a pecunia sum imparatus). - Inopia rei pecuniariae his diebus laboro; ideoque tibi subvenire nequeo.

-- Ut igitur usurarium (foenerarium; foenerativum) hominem adeam? - Nummosne magno anatocismo ab aliquo usuraram profitentem (exercentem) sumam? - An erit mihi argentum ab aliquo foeneraria formula contrahere (pacisci)? - Res igitur meas in foenebre compendium (in usurarium quaestum) apud aliquem perditum hominem convertam?

R. — Velim alearum ganeam (aleae

lustrum; ganeorum receptacula) te fugere.

- Velim ludos abruperis (te a ludo abstinerere; continere; a ludi vitio te continere; coercere). - Nolim te ludo delectari (ludo vacare; indulgere; operam dare; ludendo te exercere; multum voluptatis in ludo reperi; magnam ex ludo voluptatem capere; tibi ludum minime arridere).

— Sapienter profecto me mones; res vero ita se habet ut, nisi ad unam diem solverim, homo infamis (ignominia notatus; oppressus dedecore et infamia; omni dedecore infamis; profligatae famae; nullius existimationis ac nominis) fiam. Atqui a dignitate mea cupio non discedere (honoris mei limites non transire).

Ipsum caput verae honestatis hīc agitur.

- In controversiam sum vocatus summae existimationis (legitimae famae atque iusti honoris). - De meo honore (existimatione; fama) agitur. - Dignitati et honori esse (decus afferre) volo generi meo (nobile volo genus meum; nominis mei famam servare volo). - Nomini meo non iacturam, sed famam conferre ex mea parte volo. - Nomini mei famam non deteriorem, immo illustriorem (clariorem; splendidiorem) facere volo.

Ab honesti viri dignitate non discedere cupio. - Nolo famam (existimationem) amittere (perdere). - Nolo famae iacturam facere. - Nolo ceterorum fama me deserat (famam meam detrimentum pati). - Nolo honorem meum labem contrahere (suscipere; subire). - Nolo ignominiam mihi (nomini meo) imponi. - Nolo infamia flagrare (laborare). - Nolo ipsum me nomini meo nocere. - Nolo ab aliquo acerbo pudore suffundi. - Nolo acriore verecundiae stimulo figi (asperiore pudoris aculeo pungi).

Quid igitur in tanto discrimine mihi das consilii? - Quid tibi videtur? - Quid mihi auctor es? - Qui tuus est sensus (quae tua est opinio; quae sententia; quod iudicium)? - Quid mihi suades? - Quid faciendum existimas?

R. — Auctor id tibi sum, ut... — Mei consilii hoc est... — Mea est haec opinio, ut id agas... — Tibi suadeo (hortor) ut id facias... — Ita sentio (ita mihi videtur) ut... — Si me audis (mea tibi sententia si probabatur) hoc facies... — Me auctore (de mea sententia; meo consilio) ita te geres... — Si meum consilium habet aliquid ponderis apud te (si alicuius est apud te momenti) hoc ages (suscipies): de debiti solutione cum creditoribus convenias (paciscaris; transigas). Scriptum argentarii alicuius, munitum chirographo ad pecuniae permutationem (syngraphum curandis monetaria permutatione pecuniis), aliquo dato pignore, tibi procures. — Aliquid apud nummulariam aliquam mensam oppignores (pignori opponas; obliges; aliquid pignoreris; in pignus cedas) indeque syngraphum ad necessariam summam accipiendo ex permutatione publica ad creditorem tuum mittas. — Ex mensarrii syngrapho ad creditorem tuum transmisso, ipsi debita a te pecunia numerabitur.

— Modo sit dignitas mea incolumis (modo liceat dignitatem meam tueri; incolumem servare; modo ne cogar de dignitate mea decidere; modo ne dignitas mea mutetur; mea fama minuatur; laedatur; modo ne qua iniuria, damno, detimento honor meus afficiatur; modo ne quid iacturae honor faciat; ne quam iniuriam subeat, sustineat, patiatur; modo ne quid damni faciat honor meus; modo ne quid de dignitate mea detrahatur) fortunae detrimenta contemno (non recuso; nihili duco).

(*Ad proximum numerum.*)

I. F.

Mundus esse a vitiis debet qui aliena corrigeret curat; quatenus tanto perspicacius aliis fugienda videt, quanto hoc ipse per scientiam et vitam celerius declinat; quia nequam pure in membro maculam considerat oculus, quem pulvis obtenebrat, et superjectas sordes tergere non valent manus, quae lutum tenent.

S. GREGORIUS, *Moral.*, 6.

COLLOQUIA LATINA¹

Diurna occupatio.

DAMIANUS. — Non te studiorum, non te temporis taedet, Philippe? Quoties relevenda est eadem semita?

PHILIPPUS. — Nunquam me capit taedium temporis.

DAM. — Me autem in dies singulos magis, ac magis.

PHIL. — Tu sectaris otia; ego fugio.

DAM. — Atqui otio nihil est iucundius.

PHIL. — Contra, nihil est otio magis tetricum.

DAM. — Fateor, tu nullum remittis tempus; nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi domum revertor, quin te conspicer scribere, aut mandare memoriae, aut aliquid facere denique.

PHIL. — Vis occupationem meam diurnam omnem a capite exponam tibi?

DAM. — Pervelim.

PHIL. — Cubitu surgo primo diluculo, comparo ad scholam necessaria, et, ubi septima sonuit, salutatis parentibus, sine mora confero me ad ludum litterarum; sed sic ut per templum, si commodum est, mihi sit transitus.

DAM. — Quid illac?

PHIL. — Deum, Virginem Matrem, beatosque caelites saluto atque precor illustrare velint ingenium meum ad perdisendas honestas litteras, quibus aliquando utar ad universorum auctoris gloriam amplificandam.

DAM. — Quid agitur postea?

¹ Ex dialogis familiaribus ANTONII VAN TORRE. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PHIL. - Ad ludum propero, et, quod is locus postulat, toto ago pectore.

DAM. - Ut te geris ibidem?

PHIL. - Modis omnibus do operam, ne quid ut probrum mihi obiici possit; ne quid dicto factove vel Praeceptorem offendam, vel socios.

DAM. - Probus es quem ista cogitas.

PHIL. - Ad suam horam, dato signo campanae, vasa colligo silentio. Inter eundum curo, ne qua de via declinem, aut aliter perturbem ordinem.

DAM. - Reversus a ludo domum, quid agitas?

PHIM. - Si quid est officii praestandum parentibus, obeo; quod si quid etiam superest temporis, mecum aut cum sodali aliquo repeto quod paelectum est in schola; denique paelectionis postmeridianaem memoriam refrico.

DAM. - Nae! tu parcus admodum es temporis.

PHIL. - Nec mirum si parcus sim rei, ut multo pretiosissimae, ita quem periiit, irrevocabilis.

DAM. - Sapis. Sed quid deinde rei geritur?

PHIL. - Instructa a parentibus mensa, cum ipsis ei accumbo; postea, si quid vacat, lusu quopiam honesto laxo animum, donec hora revocat in ludum a lusu. Ludo exacto, domi idem ago quod ante prandium. A coena, suavibus fabulis memet oblecto cum domesticis; mox prosperam noctem precor omnibus, et parentibus ut mihi bene dicant: sic mature me ad quietem confero.

DAM. - Laudo institutum. O si queam assequi!

PHIL. - Poteris, velis tantummodo. Ubi assueveris pauculos menses, erunt haec etiam suavia, atque adeo vertentur in naturam.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive paecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 220. - Ad iram diarrhea supervenit, et si haec non superveniat, febris supervenit, dummodo ingens fuerit ira.

§ 221. - In Gallia sutura tendinum vulneratorum, operatio bubonocelis, cura ulcerum chronicorum feliciter succedunt. Contra in aere romano, etiamsi a solertissimis chirurtriis institutae fuissent dictae operationes, in summum vitae discrimen coniiciebunt aegrotantem. Febres semiterritanae, quae alibi raro in malignas transiunt, Romae magna ex parte sunt malignae, vel potius valde periculosae. Quod et olim GALENO Romae degenti innotuit.²

§ 222. - Vetus Latium desertum fere hodie est et squallidum; austri flatibus immediate obiicitur, et variis eiusdem in locis insaluberrimus aer observatur. Aestivo praesertim tempore pernoctantes ibi febri maligna corripiuntur - estque febris sui generis.³ Signa coagulationis in eodem apparent; ideo observatur usum vesicantium et alexipharmacorum eidem summo per prodesse: contra sanguinis missionem esse quam maxime perniciosa. Coagulatio BAGLIVIO id fuit quod nobis putredo aut dispositio ad eam est. (STOLL).

§ 223. - Qui copiosis ciborum ingurgitationibus absque noxa indulgere cupiunt, oportet ut vel multum exerceantur, vel alvum bis terve per diem solutam procurent.

§ 224. - Purgantia forma pilulari exhibita nec copiose, nec feliciter alvum sol-

¹ Cfr. fasc. mens. Oct. MCMXXIX.

² Nunc vero non ita.

³ Non ita post agri romani sanationes.

vunt. Contra, forma potabili et mediocri dosi magnam afterunt utilitatem. Si etiam purgantia forma sicca praescribantur, tamen incipiente operatione libatur aqua leniter purgans, saltem brodium tenue, aut e. g. Robitiensis. Diluentium usus non tantum in purgantibus forma sicca praescripti, sed et in aliis, forma sicca et spirituosa indole praeditis. (STOLL).

§ 225. - In curatione vulnerum atque ulcerum cavendum erit ab unguentaceis remediis, per quae saepius in peius ruunt. Prosunt vero balsamica: decoctiones, vulnerariae, spiritus vulnerarii.

§ 226. - In acutis cunctatio et sagax medici in agendo iudicium, magnam vim habent ad sanationem; et quamvis saepissime sponte sua solvantur nunc casu, nunc natura favente, nullibi tamen graviores committunt errores medici, quam in acutorum curationibus.

§ 227. - Inepta Galenicorum hypothesis fuit in assertione hypochondriaca *de hepate calido et ventriculo frigido*.

§ 228. - Diuretica in morbis pectoris generaliter optima sunt, reiectis tamen diureticis acidis, quae noxia et infida, pulmonemque erodentia. ac sanguinem in eo figentia, ut experientia constat.

§ 229. - Chinchina remedium est profecto herculeum, in curatione intermittentium, dummodo tamen non detur, si aderit suspicio inflammationis alicuius visceris, vel abscessus interni, vel etiam morbosa partis alicuius debilitas et dispositio; nam talibus in casibus non tollit, sed auget febrim, omnem materiam morbosam in affectum locum deponendo ac figendo.

§ 230. - Ad demulcentos vehementes partium dolores insigne remedium est bezoardicum ioviale, momento namque impetum spiritum et talium furentium coërcet. Cave tamen ne dolores illi podagrī sint, vel similes, quorum detecta materia priores morbos posset excitare. Cave pariter, ne illud adhibeas in nervo-

rum et nonnullis gravibus capitisi morbis v. g. apoplexia, paralysi, etc.; quippe quod nervis et cerebro infidum est ac noxiū.

§ 231. - Flatus qui prius non aderant, si in dysenteria per inferiora exire incipient, brevi sanitatem promittunt. (BAGLIVIUS).

§ 232. - Si puer ventrem frequenter manu contractat, vermium ibidem latentium signum est.

§ 233. - Quibus circa dentes in febribus quidam lentoſes nascuntur, iis fortes fiunt febres. (HIPPOCR., Sect. 4, *Aphor.* 53).

§ 234. - Nares rubras habentes lubrici sunt corpore. (HIPPOCR.).

§ 235. - Sudor multus per somnum, citra causam manifestam factus, copiosiore alimento corpus uti significat. Quod si cibum non assumenti hoc accidat, vacuatione indigere significat. (HIPPOCRAT., sect. 4, *Aphor.* 41).

§ 236. - Saepe observavit BAGLIVIUS periodicos quosdam dolores, ac morbo periodicis scilicet exacerbantes, si, quasi essent soboles febrium periodicarum, urinam, lateritio colore, sive impense rubro tintam, comitem habere, irritisque aliis remediis, per diuretica, incidentia, amari cantia et febrifuga prudenter, id est, tempestive et cum diureticis et purgantibus mixta, more febrium intermittentium feliciter curatos esse.

§ 237. - Sensus frigoris in vertice capitis inter maxima hysteriarum diagnostica recenseri meretur.

§ 238. - Ante paroxysmi podagrī insultum nulla insignis intumescentia partis observatur, sed dumtaxat quaedam venarum protuberantia assueto loco circumscriptarum, quae quidem omnibus paroxysmi insultibus familiaris est, et singulos praecedit; estque signum veluti characteristicum iamiam advenientis podagrī.

§ 239. - Pluries observavit BAGLIVIUS in nonnullis podagricis, eos, quem repente

materia podagram efficiens evanuerit, sive retrocesserit, incidisse in vehementissimos ventriculi dolores et vomitus biliosos, exinde vero in icteritiam, a qua brevi evaserunt, repetito ter quaterque rhabarbari usu.

§ 240. - Multis ante invasionem paroxysmi podagrīci superveniunt dolores colici, quibus evanescentibus, statim manifestatur podagra.

§ 241. - In tumoribus pedum (qui oedematosi adparent), ante vel post podagram apparentibus, nullum omnino, nullum inquam, neque internum neque externum adhibeas remedium, eo potissimum nomine, ut materiam illi a pedibus avertas: siquidem observavimus saepissime post exhibita purgantia, diuretica, aut sudorifera, materiam illam a pedibus ab interiora retrocessisse, et apoplexiam, asthmata, febres, aut mortem repentinam produxisse; idque infallibiliter si topica; aut resolventia, aut alterius generis (ut fieri solet) externa remedia oedematosis pedibus adhibueris. Conducit igitur in podagrīcis, hoc pedum oedematoismo, omnia naturae committere, primis coctionibus prospicere, diaetam et exercitium instituere.

§ 242. - Purgantia et sudorifera fortiora non ita bene cedunt arthriticis, et quantum diligenti observatione colligere potui, optima dierum sex non naturalium diaeta, nec non remedia stomachia omnem absolvunt paginam in podagrīcis et arthriticis. (BAGLIVIUS).

§ 243. - Circa aequinoctia et solstitia podagra exacerbari solet.

§ 244. - Signa hydropsis pectoris valde obscura sunt et dubia. Si tamen aeger dyspnœa afficiatur, hora somni potissimum ingravescente, ita ut post paucas horas somno impensas de repente expergiscatur, expergefactus suffocari se sentiat, fenestras aperiat, et liberum aërem exoptet, pro certo et infallibili signo

habeas, aegrum hydrope pectoris labore; nam et pedes intumescent, aliaque signa minus constantia aderunt. Nullius membra affectiones tam obscuris ad invicem confunduntur signis, quam morbi pulmonum, unde saepissime unum pro alio curare solent ignari practicantes. Prae ceteris tamen magnam errandi occasionem praebet tuberculum pulmonum, de quo HIPPOCR. (Lib. *De medic.*) haec habet: Tubercula euidem pulmonem *depprehendere*, et *dissolvere* posse, maxime artificiosum habetur itemque collectionem illorum impedire. Ita WILLISUS (cap. de *vomica pulmonum*) disserens, de tuberculo ait: Vitium hoc latet inter initia ita clanculum, ut vix ulla sui proferat indicia, sed tota eius res in insidiis est: eadem fere symptomata habet cum tuberculo morbosa pulmonum adhaesio ad costas. Verum tamen, quae nos observare potuimus inter constantiora signa, haec potissimum sunt recensenda: tales aegrotantes, de cetero bene se habentes, difficulter spirare incipiunt; difficilis spiratio sensim augetur, inter spirandum non stertunt, et nihil expuunt, dolorem quoque in pectore sentiunt continuum, et dolentem in locum decumbere non possunt; sicca tussi laborant. Tandem genae rubent, febricula supervenit, et negotio ad suppurationem vergente, alia suppurationis symptomata accidunt. Duo tamen patognomica crudi et adhuc incipientis tuberculi signa sunt tussis sicca, et dolor lenis in alterutro pectoris loco; cui arridet illud divini senis (HIPPOCR.) text. 63, lib. *De morbis*: «Et quamdiu quidem tuberculum adhuc crudius fuerit, dolorem exilem et tussim siccam inducit.. » Qui tuberculo pulmonum laborant, saepissime de repente moriuntur; nam suppuratio tuberculo pus erumpit in tracheam et suffocat. In tabidis si dolor vehemens lateris de repente superveniat, brevi delirabunt, febris magna accentuatur, et paucis post diebus moriuntur.

§ 245. - Phthisis saepe est morbus secundarius, a variis morbis principalibus, v. g. lue gallica, scorbuto, ictero, chlorosi, asthmate, sputo sanguinis, ulceribus internis et externis, febribus, melancholia, variolis, hydrope, dysenteria, animi pathemate, studiis severioribus, vel aliis innumeris huius generis occasionibus pendens. Hinc varia phthiseos symptomata, varia suadendi methodus, pro varia scilicet origine mali.

§ 246. - Hysteria non contenta incedere accidentibus sibi familiaribus, - repentina scilicet sensum oppressione, gulæ stranguilatione, sensu frigoris in vertice capitis, convulsionibus partium, etc. - saepissime se imponit medicis sub specie doloris capititis, apoplexiae, palpitationis cordis, aliarumque eiusmodi affectionum, tussis, asthmatis, affectionis colicae aut nephriticae, vomitus et diarrhaeæ, tumoris dolorisque tibiarum, suppressionis urinae, refrigerationis partium externalium, gravissimorum dorsi dolorum, et huiusmodi quamplurium morborum. BAGLIVIUS curavit foeminam asthmate hysterico laborantem, ubi omnia antiasthmatica irrita fuere, praescripto *sale iovis in aqua meliss.*, item *apposito empl. matricali Mysichti*. Erat haec foemina aliis hysteriae symptomatis etiam obnoxia.

(*Ad proximum numerum*).

I. FAM.



ANNALES

Sinenses inter atque Russos discrimen compositum.

Pluribus licet, atque praecipue copiarum ducibus, adversantibus, qui bellum internecivum maluissent, potius quam tempori cedere, Sinense gubernium cum Russis discrimen iis rationibus composuit, quas in superiore fasciculo enunciavimus.

Deinde vero, quasi compensationem dissidentibus offerret, ex improviso decretum edidit, quo exteri cives suis iuribus se regendi et incolumitatis privilegiis iam ab anno MDCCCLVIII sanctis, privati sunt.

Quod quidem magna visa est provocatio et fons novorum discriminum; Gallia vero, Civitates Foederatae Americæ septentrionalis et Anglia, quas maxime res spectaret, in id unum reclamationem suam concluserunt, non posse se aequo animo subitam hanc pactorum dissolutionem ferre, quum, ex adverso, non subnegrarent ipsam dissolutionem per gradus conciliandam.

* *

In Haitiana republica.

Dum in Oriente ita arma ponuntur, ad Occidentem, in Haitiana republica, tumultus fiunt, quos tradunt a iuvenibus in agriculturae studia incumbentibus primum excitatos. Ad bellum hoc civile sedandum dicunt Septentrionalis Americæ classem intervenisse, quae manu militari insulam occupaverit.

* *

Navalis conventus Londini congregandus.

Proxime, Londini, nationum conventus habebitur ad quaestionem definientam de navalibus copiis intra certos terminos continendis. Sunt qui sperant fore ut tandem aliquando omnium consensus ad solutionem sequatur; sunt ex adverso qui reputant nihil praeter inania verba inde oriturum. Numne in hanc opinionem devenire cogemur, dum iam nunc audi mus Galliam praedicantem sese pares navalium armorum vires Italiae nunquam concessuram?...

Regales nuptiae.

Dum scribimus, sollemnia, cui omnium civium ordo ultiro summoque cum gaudio

participat, Romae magnifice habentur, ob nuptias Humberti principis, regni haeredis, cum Maria Iosepha, Belgicae regalis familiae fragranti flore, hesterna die, viii mens. Ianuarii, in Quirinali Paolino sacerdote, pluribus regibus et principibus adstantibus, celebratas.

Faustis omnibus pro augustis sponsis Deo uno animo undique elatis, ab ipso Summo Pontifice, qui ipsis, qui statim eum inviserunt, per amanter benedixit, liceat nobis hic nostra addere. Faxint Superi, ut bona omnia, fortunata, felicia Regiis Principibus atque Italicae genti existitis nuptiis succedant!

POPPLICOLA.

PRINCIPIBUS AUGUSTIS
HUMBERTO
ITALICAE ET BELGICAE GENTIS
MARIAE JOSEPHAE
INCLYTAE PROLI
BENE AUSPICATAS NUPTIAS SUAS
HODIERNA DIE
SOLLEMNI RITU ROMAE CELEBRANTIBUS
VI IDUS IANUARIAS A. D. MCMXXX



*Urbs dum orbis princeps septeno e colle re-
[sultat,*

*Murmure dum grato Tibridis unda sonat;
Belgii et Italiae tam caro foedere iuncta*

*Dum regna exsultant festaque digna parant;
Spes, Amor atque Fides dum Vos comitantur*

[ad Aram]

*Ut nectant vestri vincula Connubii,
Vos, Sponsi augusti, Laureti e colle saluto,*

*Deiparae stat ubi Virginis Alma Domus,
Quam, pauci anni sunt, Princeps Humberte,
[petisti*

Caelestie Italiae praesidium et columen.

*A sua ut hinc Virgo mittat lectissima ab Aede
Pacifici Regis munera Utrique precor!...*

Laureti in Piceno.

IOANNES FRATINI, Archid.

VARIA

Belgium.⁴

Belgium, quod et Flandria, portio quidem Europae per exigua est, quippe quae non multum excedat quintam Italiae partem, nec ultra milliaria circiter mille ambitu protendatur; tamen haud scio an facile ulla sit uspiam regio aut ditior, aut frequentior; quum non minus fructuum e Belgio suo Princeps, quam Angliae Rex amplissima ex insula (si demas Sacrorum spolia) percipere consueverit; et urbes in ea sive moenibus clausae, sive clausis magnitudine propemodum pares, super trecentas et quinquaginta censeantur: pagi vero maiores ultra sex millia et trecentos numerentur, ut nihil de minoribus vicis arcibusque loquar, quibus supra omnem numerum consitus est Belgicus ager. Iam hominum virtus, operum molitio, varietas, copia quantum angustias belgici tractus egreditur? Nusquam militia aut ingeniosior, aut affluentior aut diuturnior. Plane ut aperto hic ludo accurrentes undique populos erudire Mars ad bellum videatur. Quae vero ignota marium littora, quasque desinentis mundi oras scrutata non est Belgarum nautica? Nimurum quanto illos natura intra fines terrae contractiores inclusit, tanto ampliores ipsi sibi aperuere Oceani campos, quos subigerent incolerentque, Belgii velut pomoeria prolatantes. Atque lanificia atque texturae non implet modo quanta est Europam; sed longe lateque per Africæ Asiaeque populos circumferunt quotidie Belgium; ipsique ad Occidentem Indi ex laneis ac lineis opificiis Belgicarum nomina urbium didicere. Demum rara admirantur hodie machinamenta, quae Belga aut non inveniret, aut non absolverit.

⁴ Ex FAMIANO STRADA, *De bello bellico*, decad. I, li5. 1.

Litterarum curam, maris militiam, navigationum quaestum, pecuniariam negotiationem, Reipublicae, quam ipsi sibi fecere, culturam, admiranda ignium aquarumque artifia, nempe ingenii non utique depresso documenta, vix alibi paria, nusquam certe tam multa simul per reliquam Europam, quam uno in Belgio quisquam viderit. Ceterum haec in universum genti propria, si genio illis suo uti liceat: odisse fraudes, atque ex fide, qua ipsi digni, alios aestimare. Gratia donisque non magnopere, neque in longum capi; plerumque beneficiis utentes ceu floribus tamdiu gratis, quamdiu recentibus. Eudem adversus iniurias sensum esse, quarum memoria cito animum ex eunt: nisi si contemni se videant, tamquam ex facili tolerantes; tunc enimvero implacabiliter excandescere. Ad haec vires suas metiri haud improbe: nec fere concupiscere, quae non capiant; quum tamen nulli mortalium pari sollertia terram ac mare ad quaestum exerceant, utriusque cultores elementi atque incerti iuris. In libertate propugnanda calescant plus satis; scilicet huic posthabere omnia gloriae ducunt, licentiae interdum quam libertati propiores...

**

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:¹*Ova, vulgo «alla Montebello».**Palinurus vulgaris, murie Scythica conditus.**Phasiani veru assi cum nasturtiis officinalibus.**Acetaria florentina.**Asparagus, spumoso garo saporatus.**Cremum ad Panormitanorum ritum congelatum.**Crustula Batavica.**Placenta nuptialis.*

¹ Habitus in prandio nuptiali Pedemontis Principum, Romae, die vii mens. Ianuarii MCMXXX.

locosa.

TUCCUS: — Hisce hiemis rigoribus, quam mallem flumen esse!

— Ecquid?

— Adepol! quo possem me lecto usque continere!

Amicus TUCCIO: — Quomodo fidiculum lectiones apud te progrediuntur?

TUCCUS: — Optime quidem: iam hodie pater gossypion ex auribus suis, in quas induxerat, extraxit.

**

Aenigmata.

I

Non pater aut princeps est, nec prior absque [priore]
Exulet hic *primus*; prior est et imperat alter,
Quem tamen interdum *totus* quit vincere
[inermis].

II

Sis *totus*; sine cauda *alter*, reminiscere *pri-
mum*.

Aenigmata in fasciculo mens. Decembris MCMXXIX proposita his respondent:
1) *Vi-na*; 2) *Orpheus-Morpheus*.

Dum hic nostri Commentarii numerus sub praefato est, funestissimum accipimus nuntium:

IOANNES B. FRANCESIA

longam et operosissimam vitam Augustae Taurinorum, in materna Salesianorum domo, placide intra paucos dies conclusit.

De viro, cuius virtutes, ac praesertim humilitas, pares litterarum peritiae fuere, in proximo fasciculo dicemus; hodie, dolore et maerore summo perciti, socios et lectores rogamus velint nobiscum Deo pro anima desideratissima litare.

AD SEPULCRUM

[2]

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

SCENA I.

Est nox altissima. Maximum circa silentium.

PETRUS.

PETR. Hac Ipse transit quae fuit nocte ultima,
 Multisque verbis me monebat, precibus,
 Volebam semper omnes qui praecel-
 [lere...

Quae vox! Qui vultus! Dulcis con-
 [stantia,
 Ut a perverso me terreret tramite!
 Tunç me tenebat falsa quae dementia,
 Ei firmabam me futurum stabilem,
 Etsi fugissent omnes piae formidine,
 Ei mansurum fidum me piae ceteris.¹
 En quo me stulta traxit haec piae-
 [sumptio!

Erant pauciores viri circum positi,
 Nimisque stricti sed nocturno frigore,
 Loquentes secum rebus de praesen-
 [tibus.

Et unus dixit ridens: « En discipulus! »
 Modo me signabat arrecto digito.
 Et illis totum qui me spectant cupidi:
 « Ego? » respondi. « Tu mentiris,
 [nescio! »

« Tu Galilaeus! » decem, centum denuo
 Premunt, ex mille depriment me par-
 [tibus.

Eum respondi non novisse tertium...
 Et ipse vidi tunc Magistrum tenero
 Respicientem modo me cum lumine:
 Cognovi tandem maximum periculum
 Meo crimen cordi quod admisi perfici-
 [dum.²

Fugi, pere rans tunc medullis trepi-
 [dus,

Ivi¹ Magister ubi oravit arctius
 Pro nobis! Ingens pressit me fiducia.
 Hic tandem viae fessus et vigiliae,
 Et omnis caesus stimulo conscientiae,
 Brevi soporem degustavi tempore.
 Eum videbam revirentem, fulgidum,
 Multis circumdatum supernis angelis,
 Ut olim vidi super Thabor breviter.
 Sed quo fulgentior! Veste qua candi-
 [dior!

Modo subridens alacer me respicit:
 « Viden? » dicit, signans longe per
 [aërem...

Viros decora vidi et reverentia,
 Vultuque dignos et diversis vestibus.
 Et Ille denuo, voce dulcissima:
 « Erunt hi, dixit, saeculis labentibus,
 Tecum pugnantes valido certamine ».
 Opes quae rerum! Triumphorum co-
 [pia!

Heu! cur pupillis visio disparuit?²
 En illic mons est, vertex et dulcedi-
 [nis!

Pependit diu!

(Ad proximum numerum).

¹ Signat Gethsemani.

² Vertit ad Calvarium.

IMPRIMATUR

Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
 Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

¹ Pausat.

² Stat maerens.